

intrōeunt, videntur. quorum concursum & dissipationem principia ait esse naturarum omnium. Qua in sententia est quoque Leucippus. Horum autem, quae rotunda sunt, ea animum esse dicunt, quod huiusmodi fluxus facillimè per vniuersitatem possunt peruadere, & mouere cætera omnia, cum ipsa etiam motu cieantur, quod existimant animum esse id quod motum animantibus afferat. Quocirca vitæ finem ac terminum esse respirationem. cum enim id quod corpora circunfundit, cogit comprimitque figuram, que animantibus motum ideo afferunt, quod nec ipsæ quiescunt vñquam, extrinsecus adiumentum afferri, cum alia eiusdem generis respirando intrōeant. Prohibere enim ea, ne quæ in animantibus insint, effluant, cum id quod vim habet concretionis, ipsa cohibeant & coērceant, atque ad eum finem vivere animantia, quoad hoc facere possint. Videtur etiam id quod à Pythagoricis traditur, eodem pertinere. Eorum enim nonnulli trāderunt animum esse ea corpuscula quæ in aëre videantur, quidam id quod hæc moueat. Quæ quidem perpetuo motu cieri diximus, etiam si sit tranquillitas. Eadem est sententia eorum, qui aiunt animum esse id quod seipsum mouet. Videntur enim hi omnes existimare motum animi proprium esse maxime, cæterisque omnibus animum motum afferre, ipsum autem à se moueri, propterea quod nihil cernerent quod vim mouendi haberet, quin ipsum quoque moueretur. Itemque Anaxagoras animum esse dicit qui moueat, & si quis aliis dixit, à mente hanc vniuersitatem moueri. Sed non omnino eadem eius quæ Democriti, sententia est. Hic enim omnino idem animum & mentem dicit esse. Id enim verè esse, quod esse videatur. Itaque præclarè ab Homero transferri verbum φερεῖν ad sensus, cum ait, Hector iacet ἀλλοφερέων. Non igitur mentem ut vim quandam ad verum adhibet, sed idem animum mentemque esse confirmat. Anaxagoras autem minus de his sententiā suam exponit. Multis enim locis causam boni & recti mentē tradit. Alibi verò mentem idem dicit esse quod animum. In omnibus enim animantibus eam inesse & magnis & paruis, nobilibus & ignobilibus. Sed perspicuum est eam mentem, quæ ex prudentia nominatur, non omnibus & quæ animantibus, imò verò ne omnibus quidem hominibus esse concessam.

A. iij.